

NECESSITAS. — S. Hieronymus nimia, quæ ex virtutis hujus transgressione, et omissione promanant damna, in tractatu de regula monachali exprimit his verbis: «Mons traretur portentum navigatoribus, et pro certo nunquam veniretur ad portum, si de directione et gubernatione navigii quicumque remigator ordinaret ad votum. Non civitas, non regnum, non minima domuncula diu maneret in rure, si ejus voluntati pareretur, deesset.» Propter quod ipse Papa Petrus, qui Religionis Apostolicæ vitam volebat instruere, sicut a Magistro didicerat, ut magis intelligatur, qualiter anima perficiatur in obedientia charitatis, ac fraternitatis amore, exponit apertius: «Omnes, inquit, honorificate, fraternitatem diligite, Deum time, Regem honorificate.» Et ne excusationis arripiatur scutum, sub particulari nomine præminentis dignitatis generaliter infert omnibus: «Servi subditi esolote in omni timore Domini;» et ne Prælati in medium producant pravitas, quæ plerumque subditis præstat causam magni casus. Non tantum inquit, bonis et modestis, sed etiam discipulis. S. Hier., t. VIII, in *Reg. monast.*, c. VI.

UTILITAS. — Ad nostram quoque doctrinam disposuit, ut, cum a Lucifero in deserto tentaretur, certamen circa hujusce virtutis meritum institueretur; ait enim Evangelista: «Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.» Circa quæ verba sacer quidam interpres ait: Dominus Jesus omnia agit, aut missus aut ductus, aut vocatus, aut spontaneus: missus venit in mundum, ductus vadit in desertum, vocatus surrexit a mortuis. Eundem quoque Dei Filium sæpius in Bethania hospitio exceptum reperietis, tametsi castellum hoc procul a Jerosolyma remotum esset, idque, ut reor, ex hac causa, quia Bethania idem significat, quod domus obedientiæ: ipsum quoque sæpius reperietis mensæ accumbentem, sive in domo Simonis Pharisæi, sive in domo S. Petri, idque quia utriusque domus paterfamilias Simonis nomine appellatur: Simon enim idem est, quod obediens. Utrumque hoc S. Antonius observat, dum ait: «Hospitabatur sæpe in Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, et Simonis quæ interpretatur obediens.» Quod si in domum Zachæi ultro se ingresserit, mirum non est, cum hic Zachæus in virtute obedientiæ insignis fuerit, siquidem vix Christus ei hæc

verba dixerat: «Hodie in domo tua oportet me manere,» cum ecce confestim obdixit; nam ille «festinans descendit, et exceptum illum gaudens in domum suam. Mansi, tr. LIV, disc. IV, n. 7.

S. Bernardinus multas adducit rationes, cur Deus domum voluntatis nostræ, dum eam obedientiæ subijcimus, adeo gratum et acceptum habeat; inter cætera vero ait: «Cum nullius rei possessores, aut domini simus, nisi per facultatem et usum libertatis nostræ, istam abdicare a se, quantum nobis possibile et licitum est, abdicare prout est possibile, omnia, quorum esse possumus possessores: «Cum in nobis nihil sit charius, intimius, altius et majus, propria libertate, ac facultate usus ejus, abdicare hanc a se, prout est possibile, tanto est perfectius et altius, quanto ista præponderat omnibus aliis abdicabilibus nostris.» S. Bern., de *Perfect. obed.*, c. I.

Scriptor quidam historicus, qui ritus et mores omnium nationum describit, de Orientalibus hæc habet: «Orientales victimas non jugulant, sed præcluso spiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, sed integrum.» Simili modo acceptissimum Deo sacrificium erat, si hoc ei ex toto spiritu, corde, affectu et voluntate nostra obtulerimus mortificando, reprimendo, et suffocando desideria nostra, affectus et appetitus nostros, ut terra mortificationis et obedientiæ jugulati, Deo consecrari possint. Jo. Bohemus, l. de *Asia*, ap. Mansi, tr. XLV, disc. VII, 24.

S. Joannes Climacus ait: «Numquam ponas in omni vita memoriam illius ingentis athlete, qui totis decem et octo annis nunquam auribus suis, a Præside suo, cui inservit, illam vocem accepit: Salvus es; sed ille tandem idem interiori animi sensu quotidie audit a Domino, non quidem salvus sis, quod optantis est, et incertum, sed salvus es, quod affirmantis est, certum, et definitum.» CLIMACUS, grad. IV, n. 83.

Humilitas et obedientia, ut similitudine Dorothei doctrina prima utar, sunt velut duo agiles equi, vitæ nostræ currum trahentes, et in celestes mansiones sine ullo labore portantes. Sanctus Vincentius Ferrerius pariter obedientiam nobis ad eorum aditum aperire dicit: «Non existimet, inquit, aliquis hominum, quod aliter possit intrare paradysum, nec per dominium, vel potestatem, vel spiritualem, sed per humi-

lem obedientiam.» VINC. FERRER., ser. IV, in *Dom. 2 post Ep.*

S. Antonius de Pádua circa locum, in quo Magdalena plenariam accepit omnium peccatorum suorum absolutionem, id est, circa domum Simonis Pharisæi, sequentem instituit ingeniosam ponderationem, inquit: Moraliter bene hic datur forma, quomodo anima peccatoris converti debeat, ut possit indulgentiam percipere de peccatis. Ubi primo occurrit videre, ubi ipsum veniæ largitorem valeas invenire. Respondeo, in domo Simonis, qui obediens interpretatur, intra domum obedientiæ, ibi ipsum invenies, quia obedientia ipsum ad suum hospitium trahit semper. Mulier peccatrix anima, quæ bene vocatur Maria a mari. Mare propter multitudinem amaritudinis peccatorum. Si vult a culpa sanari, oportet, quod vadat ad domum Simonis, id est, ad obedientiam. S. ANTON. DE PAD., s. in *ser. 3 Pass.*

Christus Redemptor noster Apostolis suis olim præcepit, dicens: «Neminem per viam salutaveritis.» At vero cum ita sit, ut certus quidam Dei servus illuminatus, S. Philippus Nerii discipulus, dicere solitus erat: Qui urbanitate morum caret, spiritum Dei nunquam habebit; cur igitur Filii Dei scholæ suæ discipulis hanc præcepit inurbanitatem, ne scilicet in via obvius salutaris? Hujus rei mysterium S. Ambrosius nobis pandit inquit: «Ergo et hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut, quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana: pulchra est salutatio, sed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio divinorum, quæ per moram sæpe trahit offensam.» S. AMBR., l. VII, in Luc., c. X. Ubi notanda sunt verba illa: Pulchra est salutatio, sed pulchrior, etc. Etenim oratio mentalis, cilicia, jejunia et aliæ similes austeritates bona quidem et laudabilia sunt opera. At vero longe majoris est meriti et profectus, si quis per obedientiam ab his dem abstineat. In vita S. Philippi Nerii de Francisco Maria Tarugio, qui postea ad Cardinalitatem assumptus dignitatem fuit, unusque ex primis S. Philippi Nerii discipulis, nostraque Congregationis Pater fuit, legitur, quod dum nocturno tempore ad orationem faciendam surgere volens, a S. Philippo id faciendi postulasset licentiam, is complexionis ejus probe noscens debilitatem,

hanc ei denegarit. Tarugius autem ideo a proposito suo minime destitit, quin potius proprii hujus operis permissionem solito ardentius sollicitavit: cum vero tandem suum executus fuisset desiderium, contigit, quod prima nocte, qua surrexerat, caput suum adeo debilitarit, ut deinceps per undecim menses orationis exercitio nequiquam vacare potuerit.

In libris Regum legitur, quod, cum Naaman Syrus ad Elisæum accessisset, ut a lepra sua ab eo curaretur, a Propheta septies in aquis Jordanis se ablucere jussus fuerit. At vero num forte aquæ Jordanis hæc erant virtute præditæ, ut lepram curarent? et posito, quod ad malum hoc peccatum natura sua servient, quoniam spectabat numerus ille septenarius? Abulensis ait: «Dicendum, quod ita poterat sanari Naaman lavando se unica vice in aqua, quam si lavaret septies, et tamen jussit, quod lavaret septies propter meritum obedientiæ; sicut interdum jubentur aliqua quibusdam, quæ non sunt necessaria, et tamen jubentur, ut obediant, et mereantur obediendo.» Observandum tamen est, Naaman sanitatem non recepisse, nisi postquam discursum, et intellectum suum captivando mortificavit, quia ab initio in aquis illis se ablucere enuit, dicendo: Aquas Syriæ longe meliores esse. At vero quando a prudenti servo suo monitus, partem suam rationalem vicit, ei arbitrio Prophætæ substravit, desideratum sanitatis fructum profinus obtinuit. Mansi, d. XXIV, n. 3.

Gravi edicto Redemptor mundi apud Mathæum divites mundanos percudit, dicens, «facilius posse camelum transire per foramen acus, quam opulentes intrare per Regnum cælorum.» Audierunt hæc cum stupore Discipuli, contristatique dixerunt: «Quis ergo poterit salvus esse?» MATTH., XIX, 25. Respondit Dominus, «apud homines hoc impossibile esse, apud Deum autem omnia possibilia.» Tunc dixit Simon Petrus ad illum: «Ecce nos relinquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?» S. Hieronymus in commentatione horum beati Petri verborum positus exclamat: «Grandis fiducia! Quando cæteris Apostolis erigit comas mentemque et omnes artus tremor concutit, natus de terribili sententia, quam Christus contra divites pronuntiavit, ita ut dicerent: «Quis ergo poterit salvus esse?» Solus Simon Petrus audacter,

animoseque vel intrepide ait ad Christum, non solum de se bene fisis, sed etiam de aliis securus, sibi videri edictum illud ad se, collegasque suos non pertinere, eo quod pauperes essent, et omnibus renuntiassent, adeoque certam sperarent salvationem. Qui factum, quod, cum alii Apostoli contremiscebant, solus Petrus fidenter Christo loquebatur, dicebatque, certam sibi, sociisque suis promittere beatitudinem. Respondet S. Petrus Damianus, monetque advertere, quis ille sit, qui loquitur; Dixit Simon Petrus. Simon ex interpretatione S. Hieronymi, Venerabilis Bedæ, Nicolai Lyrani et Pagnini, idem est, quod obediens. At si obediens loquebatur, quid mirum, quod confidenter presumebat, et humiliter gloriabatur, quando alii angebantur amicis, et trepidabant? qui enim perfecte obediens est, ille tuto cum Jesu, sive Salvatore loqui potest, nemo enim certus, quam verus obediens, posse sperare salutem videtur. DINAC. NYSSENUS, in *Vit. Abrah.*, c. v.

Pugnabat Jacob pertinaciter in Palestina sacra, inclinabatque in illius partes victoria. Cum inter productiorem conflictum aurora proximum diem nuntiaret, dicebat ad Jacobum ille, quocum luctabatur: « Dimitte me, jam enim ascendit aurora. » GEN. xxxii, 26. At quid impedimenti adferre intermissioni pugnae dies poterat? cur ille finem luctæ ante fieri voluit, quam dies appeteret? etsi concertatio illa et corporalis et spiritualis erat, sicut Jacob spiritu etiam pugnaret, ardentibusque precibus Deum appeteret, et plurimas illi ab oculis lacrymas affunderet, quare orandi studium propter ingruentem diem relinquere, aut seponere debuit? cum Deus amet audire orationes, et nulla illis impedimenta sol cum die per se adferat, quid erat, quo minus Jacob per diem tam sancto operi operam recte daret? Satisfaciunt huic dubitationi, saluberrimumque simul monitum suggerunt glossa Angelica, et Pererius, quia aiunt, illud: « Dimitte me, jam enim ascendit aurora, » perinde fuisse, ac si dixisset: Tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendas. Habetat Jacob uxores non minus quatuor, sobolem multam ex pluribus matribus, familiam copiosam. Quando ergo diluere cepit, jussus est intermittere studium orationis spirituale, et vacare gubernationi domus, disponere necessaria, et rem curare familiarem. Non enim est grata

Deo oratio, quæ tunc sit, cum faciendum aliud. Multo autem magis probat, cum justa habetur ratio necessitatum, et illi primum occurrit, quæ maxima est; et quoniam magis congruebat, studere curæ domus, quam orationi tunc, cum dies appetebat, idcirco ille glorioso colluctator dicebat: « Dimitte me, et vade procuratum res tuas familiæ, et ordinatum operas domesticorum tuorum, hæc enim Deo acceptissima fuerit oratio. » Deum enim pro Deo, ut aiunt, relinquere, non est illum deserere, sed potius majora apud illum lucra facere, amplioreque apud illum gratiam inire. Sanctum enim adagium docet, illum optime orare, qui officii sui partes recte curat, probeque exequitur. Ille verus quaerendi, et inveniendi Deum est modus. IDEM, p. II, l. VI, c. vii.

Suavissimum fragrantiam, quam sponsæ vestimenta exhalabant, sponsus sentiens aiebat, thuri, quod carbonibus impositum supremo Numini votivo cultu adoletur, similem sibi eorum odorem videri, inquit: « Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris: » CANT., IV, 14. Notorium est, quidquid rei materialis ad sponsæ commendationem assumitur, id allegoricum esse, et mysticum, nam sub cortice materialium laet spirituale, quod sponso maxime est propositum. Videamus itaque nunc, quid vestimenta sponsæ significant. Richardus de S. Victore cum omnibus aliis expositioribus ait, vestimenta esse symbola virtutum, et operum meritoriorum, quibus fovetur et contegitur anima, et omnium exercitationum piarum, quibus illa ornatur, et venustatur. Richardi verba sint ejusmodi: Vestimenta animæ sunt opera, quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, et non nudi inveniuntur ante Deum electi. Cultus ergo animæ sunt opera misericordiæ ut visitatio infirmorum, consolatio in carcere detentorum, erogatio elemosynarum in pauperes, vestitio nudorum, et alia id genus opera sacra. Notandum vero, quod odor thuris erat, quem illa vestimenta spirabant. Cujusnam rei hieroglyphicum est thus? Non puto esse aliquem, qui nesciat, thus esse typum orationis. Nihil magis tritum, pervulgatumque, quam illud Psalm. cxi, 2. « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » Secundum hæc, quod sponsæ vestimenta, quæ erant virtutes, et opera charitatis etc. thus, ut sponsus aiebat, sive incensum olebant, perinde fuit,

ac si dixisset, olere orationem. Verum cum vacare captivos, consolari lugentes, vestire nudos, sepelire mortuos, ferre opem egenibus sint opera plurimum distincta ab actu et exercitio orationis, quomodo omnia illa olebant thus, sive orationem? voluit Spiritus Sanctus ea re tacite insinuare doctrinam, quam hic tradimus, et significare, illam esse optimam orationem, cum quis officium suum recte curant, Deumque, qui videtur esse in oratione relinquendum pro Deo, quando magis convenit, et res ita postulat, quia tunc Deo magis placent alia opera magis necessaria, quam oratio. Melius hæc dicit Richardus, quam ego. Vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut devota oratio. Sic enim propter occupationem utilem orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur, juxta Apostolum: « Sine intermissione oret, qui semper operatur. » Itaque intermittere orationem, contemplationem, aut aliud quodlibet spirituale exercitium, ut rebus aliis magis utilibus, et necessariis opera detur, etiam est orare, et contemplari, et secundum Pauli dictum, perpetuo precari. Ille namque legitime orat, qui, quod suæ obligationis est, facit; ille scit Deum quaerere, qui novit ipsum pro illo relinquere, quando magis expedit, et majoris refert. IDEM.

Tam vehementer flagrabat spiritus Prophetæ, ut non contentus, quod ipse piensissimo Domino suo laudem cantica pangeret, et concineret, etiam Angelos ad concelebrandas alternatim ejusdem Domini laudes ardentibus votis, et magis vocibus invitaret, inquit: « Benedicite Domino omnes Angeli ejus: » benedicite Domino omnes virtutes ejus. » Ps. cii, 21. Non simulavit autem Prophetæ modum laudum, et orationum, quibus vacaturi erant Angeli dicens: « Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus; » velut dixisset: Facite quaecumque illum velle notis, quicquid voce imperat, aut annuit oculis, explete, est famuli ejus promptissimi et expeditissimi ad exequenda omnia jussa illius. Notandum hic quod S. Prophetæ non satis consequenter locutus, et hortatus Angelos videatur. Invitabat illos, ut communibus laudibus communem Dominum celebrarent, benedicerent, magnificarent, statimque dicebat, ut voluntatem

ejus facerent, præcepta ejus opere preperantissime morem gererent, facientes verbum illius. Quid hic cum illo altero convenit? Quid connexion inter invitationem ad orandum, et exhortationem ad faciendum, quæ juberentur? Quomodo qui vacare a laudibus suaserat, mox dare operam explendis mandatis consuluit? Occurrit dubitationi S. Augustinus inquit, non fuisse ita abreptum a fervore Spiritus Sancti Davidem, ut imprudenter verba efflueret: sed valde consequenter potius locutum, quando primum ita inclamavit Angelicos spiritus, « Benedicite Domino omnes Angeli ejus, » statimque subjunxit, « facite verbum illius. » Hocine vero sit benedicere Domino, facere verbum illius? Inne laudet, et oret Deum, qui operatur quæ illi grata putat, et jussa illius exequitur? Imo vero, inquit Augustinus: Si vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, voluntatem ejus, si vis vacare orationi, quæ Dei pergrata sit oculis, seponere orationem, intermitte contemplationem, cessa tantisper ab ipsis laudibus, quando aliæ status sui occupationes necessariae alio te vocant, quando ex officio tuo facere aliud teneris, cui dum operam navas diligentem, acceptissimum Deo laudem offers. Optimum genus orandi est, Deum pro Deo relinquere, quod cum facis, devotissimum illi obsequium, et cultum religiosissimum offers. Si vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, voluntatem ejus. IDEM.

Accipiamus hanc a cœlesti Magistro doctrinam. Attentionem ille ardentissimam in horto Gethsemani ad Patrem suum æternum fundebat orationem, inquit: « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. » MATT., xxvi, 39. At si non ita expedit, fiat tua per omnia voluntas, cui subjectissime obtemperare sum paratus. Habetat tunc apud se tres charissimos Apostolos, et monet S. Matthæus, quod intermissa ad tempus oratione, venit illos invisum, invenitque somno oppressos, et objurgavit unum, maxime Petrum, qui tantam constantie firmitudinem tam jactanter pollicitus esset, et nec ad horulam cum Domino suo pro communi salute vigilante, et tribunal Patris sui appellante vigilare potuisset, postquam in mortem cum illo velle ire spondidisset. MATT., xxvi, 40, sic ait: « Venit ad Discipulos suos, et invenit

eos dormientes. » Recepti se denovo ad orationem anxie afflictus Dominus, sive, ut illud, *IBID.*, XLII. habet : iterum secundo abiit, et oravit. Aliquando preceus, etiam hanc tantisper seposuit orationem, et venit iterum sollicitus Magister ad somniculosos discipulos. Confugit etiam tertio ad orationem, et tertio inde ad gregem suum impiger, ac pervigil pastor recurrit. Sed quid est, quod, cum Patre æterno Filius ejus coæternus loquens, toties ab illo recessit, ut abiret ad Discipulos? Sicine Creatorem reliquit, ut creaturas visitaret? Parum urbane factum videtur, quod susceptum cum tali Patre colloquium, iterum, atque iterum interrupt, ab illo ad tales creaturas secessit. Respondet Simon de Cassia, inquit, magno consilio hoc fecisse Dominum et Magistrum, ut nobis inenclaret doctrinam, quam hic versamus, crebroque illo accessu ad orationem, et recessu ad Discipulos nos doceret, propter majorem quamdam necessitatem nonnunquam intermittendam orationem, et seponendas preces, quando res postulat, ut vel dormientem excitemus, vel negligentem stimulemus. Bona enim oratio fuerit, et qualis illa Christi, si orationem deseras, ut oburges somnum aliquorum Discipulorum, et scordiam Apostolorum corrigas, et castiges, qui tunc vigilare, et inservire suo Magistro, et insomnes illam sequi debent. Simonis de Cassia verba lib. III, in *Evang.* talia sunt : « Nullo responso suscepto, interpolavit orare per modicum, reversus tamen ad piam, et utilem actionem, nam venit confortaturus Discipulos. » Oportet si quidem orationem intermittere pro utilitatibus proximorum, maxime ubi bella spiritualia timentur, et discretionis insignis est virtus, actum virtutis præ alio actu virtutis intermittere. Quod orationem Dominus intermisit, hoc fecit, ut alteri operi pietatis, hoc est, Discipulorum exhortationi, emendationi, corroboratori studeret. Convenit enim aliquando seponere orationem, quando aliorum salus curam, opemque nostram efflagitat; in primis cum anima cujuspiam periculo proxima per nos sospitari poterit, tunc enim rem magis gratam Deo feceris, si illo etiam relicto, ad avertendum a periclitando exitum te converteris. Magnæ enim prudentiæ est, minus lucrum deserere, et majorem questum consecrari. Omnibus ergo danda opera, et orationi præ omnibus,

nisi quando gravior necessitas, et debita officii, vel status proprii officia nos ab ea alio vocant. Discretionis insignis est virtus, actum virtutis pro alio actu virtutis intermittere. *IBID.*

DIGNITAS. — Videns celestis Præcursor proprius ad se accedere solem, cujus ipse aurora erat, plenus gaudio, et lætitia, succlamabat : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, *JOAN.*, I, 29. Non exiguum difficultatem habet » statuere, de quo peccato S. Joannes loquatur. Nam cum in mundo tot sint peccata, quæ auferri debeant tot maculæ, quæ postulent eradi, nimis parce de Agno Dei locutus Joannes videtur, cum de illo ait, quod tollit peccatum mundi, in quo affluentissima est scelerum colluvies, quæ exhauriri petat, et aboleri. Sed quoniam de uno tantum per Agnum Dei auferendo peccato loquitur, qualem illud esse, dicemus? Magnus Bulgarorum Archiepiscopus Theophylactus in cap. I *JOAN.* de hac re sic ait : Fortassis autem, quia inobediens fuit homo Deo, et in varias affectiones incidit, peccatum mundi inobedientia fuit, quam e medio abstulit Dominus, factus obediens usque ad mortem, et contrarium contrario sanans. Nonne videtis unam inobedientiam a S. Joanne vocari peccatum mundi? Tale autem hoc videtur, quale si dixisset, præter inobedientiam nullum esse vitium in mundo, nec virtutem aliquam præter obedientiam. Cum quis est obediens, illum omnibus contaminatum esse flagitiis, præsupponere possumus. In solo inobedientiæ peccato peccata omnia videntur inclusa; unde et Joannes, cum indicare vellet, quod Christus auferret omnia peccata, ait, tollere inobedientiam : « Ecce qui tollit peccata mundi, » Ergo e contrario de illo, qui est vere obediens, affirmare, ut videtur, possumus, omnibus ornatum esse gratiis, et virtutibus. De obediencie namque omnia bona credere, et cogitare, quiquid de integerrimo et sanctissimo possumus. *IDEM, in Vita Abrah.*, I, I, c. 1.

Non inepta videtur ratio jam dicta, ob quam unicum Sacrificium, quo Abraham filium suum offerre volebat, multorum nomine est donatum, cum ille ait : « Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est offerens Isaac filium super altare? » Sed ut sententiæ eruditi illius, quem dixi, Interpretis inhaream, dico, obedientiam Abraham fuisse appellatam multa opera, ad indican-

dum etiam, quam sublimis, quam excel-lens, quam Deo gratia sit obedientiæ virtus, ut in qua virtutes omnes videantur incluse. Cujus dubii (nempe cur de una obedientia, tanquam de multis operibus locutus sit Sanctus Jacobus) solutio in eo videtur consistere, quod obedientia perfecta multiplex est, et instar multorum actuum apud Deum reputatur. Nescio, quid habeat illa tam accepta Dei oculis, et heroica obedientiæ virtus, ut qui unam illam possidet, multis affluere videatur virtutibus, totumque confecisse perfectionis curriculum, qui illa sola perfecte est excultus. *IBID.*, I, XI, c. II.

S. Joannes Chrysostomus homil. 1, de laudibus S. Pauli quaerit tale quippiam : Quid in Angelis magnificentum prædicamus? A quo illos commendare amplissime, et extollere plurimum possumus? Ut respondeat quaesito, jubet nos sacer Doctor ad Regem cantorem pergere, ut qui hanc facile diluat dubitationem. Ille de Angelis sic ait : « Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonem ejus. » Ps. CII, 20. Ecce promptam Prophetæ responsionem, inquit, Chrysostomus, cum plurima essent, a quibus prædicare beatos illos spiritus posset; postquam generatim dixisset, esse illos potentes virtute, omnibus gratiis circumfluere, et sanctum esse, et omnium gratiarum cimeliarchium, et omnibus spiritualis perfectionis ornamenti insigniter excultum, unus testis sufficere, idque solum satis esse videtur, quod esse vere obediens dicas, quod sibi persuaseris, nihil ad absolutissimam sanctitatem, consummatis-simamque virtutem deesse. Quid ergo in Angelis magnificentum prædicamus? Prefecto, quia cum omni cura obediunt Deo. Hoc maxime in illis commendamus, quod tam expediti prosiliunt, tam celeres advolant ad omnia, quæcumque Dominus imperat, quod David quoque admirando dicebat : « Potentes virtute, facientes verbum illius. » Huic enim bono æquale est nihil, prorsus etiãsi sint millies incorporei : hoc est enim, quod maxime prestat esse beatos, quia obediunt præceptis Dei. De quo nobis persuasum habemus, quod si perfectus obediens, si cum-

dem omni sanctitate, et perfectione ornatum credamus, nihil temere egerimus, extraque omne præceptis judicii, aut erroneæ sententiæ periculum erimus. *IBID.*

Ad hoc propositum spectat illa Theophylacti observatio, quod in Evangelicis, cum Princeps Apostolorum de suo nomine Simon appellatur, illud plerumque nomen adjungitur, quod illum Christus donavit, quando Petrum vocavit *MATT.*, x, 2. in recensione Apostolorum, primus « Simon, qui dicitur Petrus. » Iterum *MATT.* XVI, 46. « Respondens Simon Petrus dixit. *LUC.*, v, 8. « Cum videret Simon Petrus. » *JOAN.*, VI, 8. « Andreas frater Simonis Petri; » et *IBIDEM*, 69. « Respondit ei Simon Petrus, » et apud autem eundem Joannem alibi sæpe. Cur tanta curæ fuit Evangelistis, ut hæc duo nomina conjungerent? Simon (quod alibi quoque diximus) idem est, quod obediens, et Petri nomen a Petra, qui firmitatis symbolum est, venit. Quod ergo obedientia cum petra copulatur, perinde est, ac si dicatur, obedientiam esse lapidem fundamentalem, cui virtutes aliæ omnes imitantur; nam ut quempiam firmiter inhæ-rere virtutibus credas, firmiter illud solum facere potest, si verum, perfectumque obediens esse scias. Qui habet obedientiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiens, ut firmiter in bono, inquit Theophylactus in cap. I *Joann.* *IBID.*

Cum extollere virtutem alicujus volumus, dicere solemus : « Io trocara mi aluna por la suya, » Hoc est, cum ipsius anima meam commutarem. Nam ut homines oderunt jacturam in suis permutacionibus, et anima valde pretiosum monile est, sic nunquam suam cum alia permutare vellent, nisi lucrum alterius multo sanctioris, et opulentioris ex mutatione sperarent. Interrogemus nunc S. Ignatium Martyrem, quam ille animam pro sua arripere, si deligendi optio, et commutandi facultas concederetur. Respondet ille *Epist.* XI, t. III. *Bibliothec. Vet. PP.* Meam animam cum animabus eorum, qui episcopo parent, libens commutavero, faxit Deus, ut cum illis mihi portio contingat a Deo. Ex toto ergo sacrosancto pulcherrimarum virtutum choro nulla inclyti Martyris ad se oculos rapuit, nisi obedientia; neque cum alio animæ suæ commutationem fecisset, nisi cum eo, quem obedientiæ perstudiosum et observantem scivisset. Maxime dignitatis, et incompara-

bilis pretii est obedientia, quæ sola pretium virtutum cunctarum includere videtur. Qui ergo perfecte obediens fuerit, hunc statim, ut videtur, virtutibus divitem, et prorsus sanctum censere possumus, et habere. Ibi.

S. Vincentius Ferrerius de illo, quod Beatissima Virgo ministris Nuptiarum in Cana Galilææ dedit, monito tractans, ita discurret: « Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciendum, quod inter omnia opera, et utiliora, quæ possumus facere pro salute nostra, principalius et majus est, obedere mandatis Dei. » Quam ob causam Patres antiqui, vero ditati spiritu, virtutem obedientiæ nulli non præferrebant operi bono. Prout in hæc verba scriptum reliquit Cassianus: non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, et quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, et universa dispensia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violasse videantur.

Acceptissimus Abrâhæ servus Eliezer ab eodem domino suo, ut dignam Isaac filio suo sponsam adduceret, ablegatus fuerat: de hac autem sponsa per singularia divinæ providentiæ indicia certificatus, eamque, præsentem nactus pretiosas indilate eidem donavit inauris dicente Scriptura: « Protulit inauris aureas et armillas. » Circa quod factum non vulgaris moveri potest difficultas; cum enim servus ille ædes domini sui egressus fuerit ex omnibus bonis ejus portans secum, cur obsecro, sola monilium, et inaurium istarum sit mentio? Mystrium revelat S. Ambrosius dicens: Veniebat jam celestibus dotata Mysteriis, veniebat magna secum ornamenta et aurium, et manuum ferens, eo quod auditu et operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo. Rebecca enim Ecclesiæ præfigurabat, quæ, ut digna Christi sponsa esse possit, inter omnes alias virtutes, primo omnium loco exactam quamdam profiteri debet obedientiam. Inauris aurea, et margaritarum fulgens, inquit Sapiens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem; sicut enim gemmæ animam exornantes sunt virtutes Christianæ, ita, teste S. Ambrosio, omnium virtutum fundamentum, et celestium obedientia mandatorum. S. AMBR., l. de Isaac, c. iii.

Dicere quoque possumus, Filium Dei, licet in utero virginali opera Spiritus Sancti fuerit conceptus, nihilominus verum quem-

dam obedientiæ exitisse partum. Enim vero Jacob Patriarcha gregem suum multiplicare satagens, maxime quoad illum, qui ad se spectabat, sequentem observasse legitur sagacem id faciendi modum: « Tollens virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas, de tractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero, quæ integra fuerant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuit eas in canalibus, ubi effundebatur aqua; ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conceperent, factumque est, ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa, et varia et diverso colore respersa. » Porro de Incarnatione Verbi olim in hæc verba prophetatum fuit: « Ingredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini. » Virgo igitur concipiendo Filium, oculos suos, magis vero cor, et mentem suam, in obedientiam defixam habebat, ac proinde in ipso actu Incarnationis, in hæc verba prorupit: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » Quis igitur mirari poterit eandem Beatissimam Virginem verum obedientiæ partum enixam fuisse? S. Antonius ait: Maria obediente voci Angeli Dei, Filius uterum ejus intravit; ac proinde S. Augustinus id ipsum considerans exclamavit dicens: O felix obedientia, quæ celi in se opificem corporavit. MANSI, tr. lly, disc. 4, n. 6.

Regius Psaltes ait: « Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et concupiscet Rex decorem tuum. » Ex hoc autem loquendi modo deducitur, quod pulchritudo animæ alicujus, quæ cor celestis Sponsi rapitur, potius in auribus consistat, quam in aliis membris. Audi, inclina aurem tuam, et concupiscet decorem tuum. Ut scias, inquit, D. Chrysostomus, eum non loqui de pulchritudine corporis, eam dicit constitui ex ejus obedientia. Audi, enim significat, quod obedi. Subdit vero idem Chrysostomus: Obedientia non constituit pulchritudinem corporis, sed animæ. S. CHRYS., in Ps. XLIV, 11.

Inter omnes Adami posteros unicus tantum dignus fuit, qui cruci Redemptoris ad montem Calvarium ascendens humeros suos submitteret. At vero numquid is time-

re poterat, divinum illum Atlantem, qui tribus dumtaxat digitis totum sustinet mundum, onus illud crucis, quantumvis grave regere nequaquam solum posse? Omnia in figura contingebant. At vero quem pulatis hæc Christo exhibuisse benevolentiam, ut crucem portare juvaret? Quisnam sublimi hoc dignus factus est honore? Num forte S. Petrus? aut vero Princeps Synagogæ Nicodemus? vel S. Michael Archangelus? Nullus horum. Sed solum quidam de villa ad civitatem Jerosolymitanam transiens. At vero quibus meritis hunc sibi honorem comparavit? Nullo prorsus quantum ex S. Scriptura colligere licet, hoc solum constat, eum Simonis nomine appellatum fuisse: Simonem quendam, etc. Simon autem idem est, quod obediens; et ideo per hoc innuitur, illos vel maxime Deo placere, atque ad portandam crucem ejus habiles et idoneos esse, qui obediens existunt. MANSI, ib. disc. vi, n. 7.

S. Franciscus Salesius de hac materia discurrens in libris de amore Dei, sequentem adducit similitudinem: Omnes quasi herbæ, quæ flavos producunt flores, specialiter vero cicoria sylvestris, quæ flores cæruleos progignit, ad partem, ubi sol est, semper flectuntur, illiusque sequuntur perpetuo gyrum. At vero Heliotropium, quod solsequum appellare solemus, non solum flores solem versus flectit et inclinatur, sed et omnia folia sua ad eundem, ubicumque est, dirigit, luminareque hoc majus semper et ubique sectatur. Ita pariter viri spirituales florem cordis sui, id est, obedientiam, inclinant ad ea, quæ ex parte divinæ voluntatis præcepta sunt, imo animæ ipsorum sancto quodam amore succensæ, non solum divinam voluntatem hanc respiciunt per obedientiam præceptorum, verum etiam per omnimodam affectus sui unionem, divini hujus Solis cursum sequuntur in omnibus præceptis, consiliis, inspirationibus, sine ulla prorsus exceptione aut differentia, adeo ut eum Psalmista dicere possint: « Tenisti, Domine, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. » S. FRANC. SALES, p. II, t. II, c. III, de Div. amor.

Subditi Prophætæ Job aliquando ad ipsum convenientes, auream illi obtulero inauram, et oviolam, dicente Scriptura: « Dederunt ei unusquisque ovem unam, et inauram auream unam. » Quæ munera me-

rito quisque obstupescat. Quæ enim inter ovem, et inauram viget unio? Mystrium nobis patefacit S. Gregorius, dum inquit: « Notandum vero est, quod hoc loco cum inauræ ovis cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante, qui ait: Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. » Beato igitur Job nemo inauram sine ove, nemo ovem sine inauræ obtulit, quia profecto Redemptori suo non obedit, quia innocens non est; et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. S. GREG., l. XXV, Mor., c. x.

Quannam existimas esse rationem, cur Salvator noster Petrum præ cunctis Apostolis elegit, qui consignaret claves regni cælorum: « Tibi dabo claves regni cælorum? » cur non illa S. Andrea assignavit, qui primus se ejus sequela adjunxit? aut vero S. Joanni dilecto Discipulo suo? Respondet S. Bonaventura: Christus dedit Simoni, qui interpretatur obediens, claves Regni cælorum, obedientia enim est, quæ aperiens cælum. S. BONAV., in Diet. sal. tit. VIII, c. II.

Duodennis Filius Dei, postquam in templo a Parentibus inventus fuit, descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Luc, II, 51. Abiit ergo cum vera Matre sua Maria et putativo Patre Joseph Redemptor mundi, omnisque illius occupatio erat vivere ex illorum voluntate, et arbitrio, et erat subditus illis. Beatissimus Papa S. Gregorius in catena aurea Doctoris Angelici in Evangelistæ verba sic disserit: Totam intermediam Christi vitam, quæ est inter ostensionem ætatis, et tempus Baptismatis, velut immunem alicujus famosi, et publici miraculi, et doctrinæ, Evangelista sub uno verbo colligit dicens: Et erat subditus illis. Cum vero Dominus interea plurima egerit digna memoratu, cur sacer Historicus eorum narrationem prætermisit? Non omnino prætermisit, sed mystico compendio usus, plurima paucis complexus est, cum ait: Et erat subditus illis; quod perinde fuit, ac si dixisset: sub uno verbo omnia, quæcumque de nostro Redemptore dici possunt, collegi, cum subditum fuisse affirmavi. Nam qui alium a prompta perfecta que obedientia commendavit, omnia dixit, quæcumque dici possunt, ut omnibus aliis affluere virtutibus credatur. Div. Nys., in Vit. Abraham, l. II, c. v.

Venit quondam fugitivus David in Nobe ad Abimelech Sacerdotem, qui simul ac illum vidit, admirabundus ait : « Quid ego te ita solum, incommittam qui video? Rex præcepit mihi sermonem, I Reg., XXI, 2, negotiumque commisit, quod ut est admodum grave, ita vult esse tectum et secretum; illud vero te scire velim, quod valde famelicus huc venio, quare si vel quinque panes, vel aliud quiddam esculentorum in promptu habes, necessitati meæ fac subvenias. Respondit Sacerdos, nihil ad manum se habere, nisi panes sanctos, quos dare non possit, nisi eorum, qui sumpturi illum erant, puritatem ante examinasset. Itaque aiebat: Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? » *Ibid.*, 4. Abulensis sciscitatur : Quamobrem Abimelech Sacerdos dederit David panes propositionis sanctos, cum facile posset illum alio mittere, ubi profanos, ad levandam suam esuriam proficiendamque reliquam viam, acciperet panes? Respondet q. 8 in I REG., XXI, vidit ejus magnam velocitatem ex mandato Regis, ideo non visit ad aliam domum pro pane, sed credit observationem præcepti regalis sufficientem esse causam ad hoc, quod posset dare David de cibis sanctificatis. *Ibid.*

JACUDITAS. — Jacob Patriarcha, deserta domo paterna, in Mesopotamiam se contulit, ad locum ubi omnis exultat timor Dei, ino ubi idolis sacrificabatur; et ut paucis absolvam, domum subit perfidi Laban; sed dum hæc omnia ex materno dumtaxat imperio, præceptoque aggressus est, Deo protegente, perque hoc ipsum obedientiæ securitatem nobis indigitante, omne corporis animæque declinavit periculum. Quin et prima nocte discessus sui Angelos habuit custodes, sibi que obsequentes, quos per scalam ascendere, et descendere vidit. Redenti pariter occurrerunt Angeli, dicente Scriptura : « Fuerunt ei obviam Angeli Dei. » Quam prærogativam Rupertus Abbas promptissima ejus obedientiæ inexcitantè ascribit, inquit : Jacob postquam præceptum matris peregit, revertenti obviam fuerunt Angeli Dei, ut sciamus, quia post obedientiæ laborem cuique viro fideli superest, supernis illum revelationibus glorificari, et celestium spirituum crebra visione etiam in hac vita remunerari. Quemadmodum in jamjam memorato vidimus Patriarcha, cuius universam felicitatem ejusdem obedientiæ etiam attribuit Porrec-

ta, quando illis Rebeccæ verbis (in me ista maledictio) sequens adjicit commentarium : Hic habes, quod nulla via pro salute nostra securior est, quam obedientiæ. *MANESI*, tr. LVI, Dis. XIV.

Auctor operis imperfecti illud in Christi Genealogia expressum vocabulum, Obed, interpretans, idem significare ait, quod subditus. Quo supposito commentario, ita discurrit ad præsens intentum : Iste autem Obed, qui subditus dicebatur, quid genuit? Jesse, id est, refrigerium, Jesse enim in latino refrigerium appellatur, nam vere quino subditus est Deo, et parentibus suis, tales filios generat, Deo præstante, a quibus refrigeretur. Quia nimirum, ut Bellocensis in speculo suo morali scriptum reliquit : Sane divina voluntas est multum delectabilis in corde devoto, sicut dicit Augustinus : Mihi adherere Deo bonum est, etc. et alibi : Cum tibi adhaesero ex omni re, nunquam mihi labor, nunquam dolor, sed vita mea tota vivet in te, tota plena te, Talis adhesio facit hominem pæfiscum, imperturbabilem, et quietum, et in presenti quasi Deum facit, *LUC*, II. Et terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Imper. Op.*, hom., 1.

Venientibus de Civitate Discipulis, cum ad manducandum hortarentur Jesum, ipse obedientiæ panem, qui animam Deo subjectam gratiosissime pascit, ostendit omni corporali cibo esse preferendum. Nec sapidiior ullus gustatus cibus nec pinguior mensa amantis oculis præponitur, quam impletio mandati celestis, sicut ipse obedientissimus Jesus effatur : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. *TU. KEM.*, in conc., de *Samar. mul.*

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Birgitta a Christo dictum est : Quid times? etiamsi decies comederes in die propter obedientiam, non tibi imputabitur in peccatum. Non virginitas meretur coronam, viduitas appropinquat Deo, sed obedientia omnes introducit in celum. *L. VI, Rev.*, c. III.

S. Gregorius naturam obedientiæ describens dicebat : Debet obedientia in adversis ex suo aliquid habere (magnam animi alacritatem, anoremque parendi) et in pros-

peris ex suo omnino nihil habere (quia non propter delectationem propriam, sed solam Dei voluntatem admittenda et amanda sunt.) *S. GREG.*, lib. XXXV, *Mor.*, c. xxxiii.

S. Hieronymo Monacho cuiquam suadebat, ut nunquam de Majorum suorum sententia judicet, sed illud a Moyse dictum sibi applicet : Audi Israel, et tace. *Ep. IV*, ad *Rustic.*

Lacedæmone legibus cantum erat, ne juvenibus, qui ad capessendam rempublicam venissent, fas esset, de legum aequitate disputare. *EUSEB. CÆSAR*, de *Præparat. Evang.*

Pythagoras discipulis suis veteat, ne rei quam enunciasset, rationem exigerent. Quod ipsis adeo sanctum erat, ut hæc vox : « Ipse dixit : » cunctis silentium imponeret. *RODRIG.*, p. III, tr. v, c. v.

Abbas Nestero in ipso Religionis ingressu dicebat : « Ego et asinus unum sumus. Quidquid imponitur, hoc portat, et sine mora. » *Vit. PP.*, l. de *Humil.*

In *Evodo* scriptum est : « Si dixerit servus : diligo dominum meum, et uxorem, et liberos, non egrediar liber : offeret enim dominus diis, et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæculum. » Hoc dictum altiori sensu viri Religiosi est, cui auris perforanda, ut per obedientiam Majorum præcepta suscipiat. *Ex. xxii, 3.*

Abbas Binusius apud Cassianum sic loquitur : « Sed forte dicas : quomodo potest homo crucem jugiter portare : vel quemadmodum vivens quis potest esse crucifixus? Audi rationem breviter : Crux nostra, timor Domini est : sicut ergo crucifixus jam non pro animi sui motu, membra sua quocumque movendi vel convertendi habet potestatem : ita et nos voluntates nostras ac desideria, non secundum id, quod nobis snave est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, qua nos illa constrinxerit, applicare debemus. *ALVAREZ*, t. II, p. III, l. V, c. v, lib. IV. *Instit.* xxxviii.

Crassus Mucianus cum in Asia consulum, et Provinciam obtineret, et pro urbe Levea oppugnanda proceram trabem ad arictem fabricandam afferri jussisset, Meleathensium vero Architectus minorem, utpote quam aptiorem fini præfixo censebat, misisset, vestes eidem detraxi, graviterque virgis cædi imperavit. Et ne hoc ulli videretur sævum : omne, inquit, imperan-

tis officium corrumpitur atque dissolvitur, si quis, ad id, quod facere jubetur, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat. *GELL.*, l. I, *Noct. Att.*, c. XIII.

In Monasterio Villa Comite, Braccarensis Lusitanæ oppido, cum Abbatissa eligenda esset, et ambitiosæ alique, ut in se calculi conferrentur, Sorori simplici in culina occupatæ suæ suffragia conferrent, plures in eam calculi conspirarunt, et Abbatissa hæc Soror electa est a nolentibus : sua spe de-lusæ sorores illæ parere ei volebant : nec pro more in capitulo ei obsequium præstitura. Tum illa spiritu commota, magno fervore : « Quandoquidem, inquit, vos mihi obedire recusastis viventes, ac me pro legitima agnoscere, vos, quæ hic dormitis mortua surgite, et uti debeat obedire, hæc doctæ. » Ecce repente prodeunt e suis « loculis moniales septem ibidem sepulta, genuflexæ, » dimissis capitibus obedientiam, et reverentiam, ut vere Abbatissæ exhibuerunt, nec recesserunt, donec ipsa, quæ vocavit, jussit ad sepulchra redire. Tunc se cæteræ illi submisere. *Biblioth.*, *Paup.*, littera E, de *Elect.*

Cum mulier prostituta in concione audisset de Inferorum supplicii dici, tacta scelorum dolore, interpellat Sacerdote, querit quibus modis explari possint noxæ earum, quæ cum sacris hominibus consueverunt. Tum Sacerdos animadversa feminæ simplicitate, per joem ait : Si in medium se flammantis camini incendium immiserit; at illa serio hæc dici rata, capta occasione in accensos fornacium ignes se dedit, et exusta animam cælo transmisit; quod vicini ex eo cognoverunt, quod alitem ex igne candicantem egressam videre celum petere. Recluso loco examine corpus extraxere, et incerti rerum, quasi nocentem, ut se ipsam peremisset desperanda, exclusam communi Christianorum cœmeterio in profano campo abjecere, terraque obruere. Sed Deo placuisse eam simplicitatem celestibus signis, et flammis circa tumulum jaentis velut stellis eminentibus ostendit. *RADERUS.*, p. II, *Vivid.*

S. Franciscus fratrem refractarium jussit detractis vestibus, vivum humi defodi in altam foveam a fratribus, quod fecerunt mentotenus. Tunc Franciscus eum allocutus : « Es ne mortuus frater? » quo humiliter respondit : « Ita Frater; vel saltem propter meum peccatum mori debueram. »

Tunc jussit illum iterum erui, dicens: « Surge, et si vere mortuus es, obedi tu Prælati ad nutum. » Sicut homo mortuus in nullo potuit repugnare. *Biblioth. paup.*, lit. *O de observ. præcepti Dei.*

UTILITAS. — Theopompus interrogatus, quæ disciplina potissimum exerceretur Spartæ? peritia, inquit, jubendi, et obediendi. Cumque aliquis diceret, omnem Spartanorum salutem in eo consistere, quod Reges ad imperandum haberent, non sola hæc causa est, inquit, sed quod cives obedire norint. *DREXEL.*, in *Rosis*, p. II, c. XIII, § 3.

Dixit S. Syncretica: Ideo in congregatione cuilibet conversanti magis obedientiam, quam continentiam proponimus, quoniam continentiam arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur. *Vit. PP.*, l. XV, de *Observ.*

B. Gertrudis de Antistitis suæ asperitate conquesta apud Deum, desistere jussa est, eo quod sibi, et Antistiti maxime consulere. Eidem pro defectu cujusdam personæ oranti dixit apparens Deus: Ejus ex abundantia pietatis dulcedinis, et dilectionis mee divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto inhaerere aliquos defectus etiam illis, qui præsent, ut inde meritum congregationis augeatur. Nam multo majoris virtutis est subijci ei, cujus defectus cognoscitur, quam alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, et ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humiliantur. Subditorum meritum crescit tam ex defectibus, quam profectibus earum, quæ præsent, et similiter meritum illarum, quæ bene præsent, crescit tam ex profectibus, quam ex defectibus subditorum. *RODRIG.*, p. III, tr. 5, cap. VIII.

B. Catharina Bononiensis dicebat: « Obedientia magis sine dubio est meritoria, quam ulla penitentia, quæ fieri potest. » Si enim Abraham fuit justificatus, et tantopere placuit, quia Deo solum obedivit, quanto magis justificabitur creatura, quæ pro amore Dei se submittit ad obedientiam servo ipsius Dei? Eadem dicit: « Quis dubitare potest de sua salute, si vitam finiat in obedientia, quæ suo Domino similiorum facit, quam ulla alia virtus? » Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro suo fundamento, et credat firmiter, se melius salvandum per illam, quam per ullam penitentiam, jejuni-um, et quamvis contemplationem.

S. Philippus Nerius dicebat, Sanctitatem in tribus digitis sitam esse, quod pronuncians frontem tangebatur, addebatque totum esse situm in abnegatione rationalis facultatis. *LANCIZ.*, op. 8, fol. 639.

Testatur Climacus, vidisse se in quodam monasterio senes canitie, orisque habitu venerabiles, instar puerorum agiles, et ad minimum Superioris nutum promptissimos, quorum nonnulli totos quinquaginta annos sub obedientiæ signis meruissent. Eisdem rogatus, equid solatii, aut quod præmium tam diuturnæ obedientiæ tulissent? alios respondisse, se ad ipsum humilitatis fundum descendisse, ubi jam extra inimici tela securi agerent; alios id se commodi consecutos, ut jam quaslibet injurias, ignominiasque riderent. *De Obed.*

Joannes Avila, Jacobo Gusmano, et Caspary Loarti inter reliqua monita etiam hoc dabat: Nihil commoveat vos qua tandem in re opera vestra adhibeatur. Etenim cum ex conservatione, et incrementis hujus familiæ (Societatis) magnopere pendeat utilitas animarum, quidquid ei conservandæ ac promovendæ conducit, vel ipsum lanes, patinasque purgare, id demum est animas convertere, et summa voluntate est peragendum. Cogitatione igitur a propriis ac ceteris abducta operibus id curate dumtaxat, ut pareatis, quodque vobis præcipitur, non tam propter ipsam rem agatis, quam quia præcipitur, permagni æstimantes, quod ejus corporis membra vobis Deus det esse, in quo sua Majestatis obsequium exhibeatur.

Abbas Ypericus dicere solebat, quia ministerium Monachi est obedientia, quam qui possidet, quidquid poposcerit, a Deo impetrabit, et cum fiducia Christo adstabit. Etenim Dominus sic venit ad crucem, factus scilicet obediens usque ad mortem. *Vit. PP.*, l. XV, de *Obedien.*

DIGNITAS. — Quidam Frater requisivit senem: « Quid faciam Pater, quoniam nulla opera Monachi facio; sed in negligentia constitutus comedo, et bibo, et dormio, et de hora in horam transgredior; de cogitatione in cogitationem, et propterea contristor, et deficio? cui senex ait: « Tu sede in cella tua, et fac, quod potes, sine perturbatione animi, et confide in Deum; quia qui sedit in cella propter Deum, invenitur in loco illo, ubi est Abbas Antonius. » *IBID.*, de *Patient et Hum.*

JUCUNDITAS. — S. Catharina Senensis di-

cebat, Religionem esse veluti naviculam securam pro recipiendis animabus, quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissime ducat ad portum Salutis æternæ. *Dialog.*, cap. CLVIII.

Eidem alibi Christus dixit: « Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælatum, cui obediit. » *C. CLXIII.*

S. Bernardus dicebat, subditos transire copiosum hujusmodi fluvium, non pedibus vadentes, sicut sæculares, qui ob voluntatem propriam submersionis periculo sunt expositi; neque navi, sicut Prælati, qui cum majori laxitate per quæcumque fluminis partem trajiciunt, sed trajiciunt per pontem, quæ via plana est, et secuta, custodientes suas regulas et obediens suis Superioribus. *LUD. DE PONT.*, t. III, tr. VI, c. XII.

Tempore Simonis (qui idem significat ac obediens) dicitur terra Juda quiescere omnibus diebus ejus; idem sperare potest, quisquis obedientiæ sincere studuerit.

#### AXIOMATA.

Felicitatis mater obedientia est.  
Obediens loquetur victorias.

#### AUCTORES

- Alphonsus Rodriguez, p. III, tr. v.  
Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia*, l. XI et l. II, c. XII.  
Bernardinus Rosignolius, de *Disciplina Christ. perf.*, l. IV, c. XXIV.  
Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*, p. II, c. XIII.  
Ludovicus de Ponte, t. III, tr. VI, c. XI, et seq.  
Eusebius Nierembergius, l. V, *doct. Asc.* XLVII, et seqq., *doct.* 8.  
Franciscus Arias, de *Imit. Christi*, t. III, tr. III.  
Jacobus Alvarez, t. II, l. V, p. III.  
Nicolaus Lancizius, t. I, opusc. 2, cap. VIII, et opusc. v, cap. II.  
Dorotheus, *serm.* 1.  
Joannes Busæus in *Viridario*, V. *Obedientia*.  
Hugo Rott., p. I, cap. VII, v, IV, et p. II,

cap. XIX, et *serm.* IV et p. V, cap. XXVII, *serm.* 2.

Lucas Pinellus, l. II, de *Perf.*, a c. XX, usque ad fin.

Joseph. Mans., *Biblioth. moralis*, t. LIV.

#### OCULORUM CUSTODIA.

##### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua oculos ab omni aspectu non necessario propter Deum continentem. Ex qua definitione patet, eam ad mortificationem velut speciem partialem pertinere.

DIVISIO. — Dividi potest in custodiam « necessariam et spontaneam: » Prior est, qua oculos ab aspectu illicito, seu divina lege prohibito cohibemus: posterior est, qua eosdem a licitorum objectorum intuitionem continentem.

ACTUS. — « Oculos cohibere ab aspectu partium corporis, quas pudor vetat, in quovis sexu et etate. » Spectare enim, si quid hujusmodi fortuito accidat, quanti horris est? quod ergo in aliis displicet, numquid in seipso placere potest? inquit recte S. Ambrosius. Ideo Demetrius Phalerius monebat inter alia adolescentem, ut in solitudine seipsum revererentur, juxta quemadmodum P. Balthassar Alvarez et Societas Jesu faciebatur, qui valde cautus erat, ne inter surgendum aut vestes exuendas illam corporis partem nudam aspiceret. S. AMBR., ap. LANCIZ., opus. 2, cap. IV, n. 93.

« Tempore orationis, aut aliarum functionum spiritualium ab omni non necessario aspectu oculos continere; » certe Eusebius ob unicum oculorum in operariis proximo in agro laborantes sub auditione legis Evangelicæ factam emissionem, ita se punivit, ut per quadraginta, quibus supervixit, annos, nec in cœlum, nec astra oculos attolleret, sed semper injecto in collum collari ferreo inclinatus incederet. THEODOR., in *Hist. Sacra*, in Eus., IV.

« Ab omni feminarum aspectu sedulo abstinere, » juxta monitum Sapientis: Virginitatem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius, *ECL.*, IX, vers. 5; nam facies